

SENTENTIÆ LATINÆ.

Ex

Cornelio Nepote, Cicerone, Terentio & Fabio Quinctiliano collectæ,

In usum

Scholæ STRALSUNDENSIS.



STRALSUNDI,
Impensis OTTO RUYMANNI
Bibliopolæ.

ANNO M. DC. LV.

Eximiæ ſpei Puero

THEODORO MEJERO,

VIRI AMPLISSIMI

THEODORI MEJERI,

Stralſundenſis Reip. Conſulis & Scholarchæ filio.

S. D.

BENEDICTUS BAHRIUS.

Poſtqvam de Voluntate Ampliſſ. Dnn. Scholarcharum has ſententias in uſum Scholæ noſtræ collegeram, ex illis qvi mecum

vivunt, tu inprimis occur-
currebas, Theodore cariſ-
ſime, cui illas publicè com-
mendarem. Cæteri enim
eos progreſſus jam fece-
rant, ut nihil dubitarem
in ipſis auctoribus Latinæ
linguæ eorum exercere in-
genium & induſtriam. Tua
vero ea ſunt ſtudia, ut licet
propter Latinæ lingvæ co-
gnitionem in his ſententiis
diu te immorari nolim,
cum ad ipſos auctores ali-
quantò poſt deducaris o-
porteat, operæ tamen pre-

cium facturum me existimem, si propter Virtutum ac vitiorum præcepta, qvorum maximam habui rationem, penitus memoriæ & animo tuo infigantur. Qvæ qvidem res hoc majora feret commoda, qvod qvotidie ex me audis, qvæ vel has sententias illustrare, vel inde confirmari posse videantur. Id qvod eâ, qva nunc es, ætate omnino fieri debere mihi nullum est dubium. Qvod verendum sit, ne frustra

præcipiamus, qvid facere oporteat, qvidve omittere, postqvam externarum rerum splendor mentes occæcaverit, aut peccandi consvetudo mores corruperit. Tuum erit utrumq; conjungere, & honestè vivendi studium & optimè discendi. In qvo si fidem & diligentiam ita præstiteris, ut Amplissimi & integerrimi Viri parentis tui exemplum imitari videare, ipsi maximam afferes voluptatem, qvamq; ego

de

de te ſpem concepi, minimè falles. Qvod ipſum ut feliciter tibi à ſummo Numine eveniat, ex animo precor. Vale & ſtudiis tuis invigila.

Stralſundi Idib. Januarij clↄ. Iↄc. LV.

Qvinctilianus l. 1. Instit. cum quæ pueris ad scribendi imitationem proponenda, doceret.

Qvoniam circa res adhuc tenues moramur, hi qvoq; versus, qvi ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliqvid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi usq; ad mores proficiet.

Joannes Caselius in libello de Ludo literario rectè aperiendo.

Esse in ludos literarios minimè recipiendum, qvicqvid est recentium scriptorum, nihil habeo caussæ, qvapropter dubitem. Cum enim velimus puerum Latinum sermonem discere, non inqvinatum, sed qvam fieri potest purißimum; satis profectò est, eum ex eo genere scriptorum hauriri, de qvorum puritate, & hoc in genere profectione dubium esse nullum poßit.

Paucis interjectis.

Dubium nemini esse potest, qvin Veteres Latini scriptores pueris potißimum explicari debeant. Constat enim, eos esse & optimos omnium, & purißimos, qvi florente lingva simulq; vigentibus apud Romanos *scientiis Græcis, scripserunt; qviq; accommodati sunt captui discentium.*

CAP.

CAPUT I.

De Deo, & providentia divina.

* Nihil rerum humanarum sine Dei numine agitur. *Cornel. Nep. in Timol.*

* Summa est sapientia Deum seqvi, eiq; parere, *Cic. de Senect.*

* Salus hominum est in Dei tutela. *Cic. 3. de fin.*

Minimè convenit, cum inter nos neglecti simus, postulare, ut Deo cari simus, & ab eo diligamur. *ibid.*

* Deum cogitatione complecti non possumus. *Cic. 1. Tusc. Quæst.*

* Deum agnoscimus ex operibus ejus. *ibid.*

Nihil in malis ducamus, qvod sit à Deo immortali constitutum; non enim temere aut fortuitò creati sumus. *ibid.*

Mundus regitur Dei numine, & est qvasi communis urbs & civitas hominum. *3. de fin.*

Cap. II.

De Magiſtratu, Regnis, Imperiis, Legibus & Tyrannis.

1 * Non idem ipſis, qvi ſummas imperii tenent, expedit & multitudini. *Cornel. Nep in Vita Miltiadis.*

Magiſtratus qvi patriæ ſuæ eſt amans, amicior eſt civium libertati, qvam ſuæ dominationi. *ibid.*

Qvi multùm in imperiis Magiſtratibusq; ſunt verſati, conſvetudine ad Imperij cupiditatem trahuntur, *ibid.*

Eorum principum, qvi benè ſeſe gerunt, vita eſt ſecura, & mors ſubditis acerba. *in Cimone.*

Nullum imperium eſt tutum, niſi benevolentia ſubditorum ſit munitum. *in Dione.*

* Reſpublica non poteſt bene geri multorum imperiis. *in Dione.*

Ea eſt Regum conſvetudo, ut caſus adverſos hominibus tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ, *in Datame.*

* Prudentes viri Reipublicæ procura-

curationem interdum fugiunt, non inertia, sed judicio. *in Attico.*

Nulla vis imperii tanta est, qvæ premente metu possit esse diuturna. *Cicer. lib. 2. offic.*

Regibus non tam præclarum est aurum habere, qvam imperare illis, qvi habent aurum. *de Senect.*

Viris bonis non minori curæ est, qvalis Respubl. post mortem eorum futura sit, qvàm qvalis sit, dum vivunt. *de Amicit.*

* Rex est, qvi se suosq; regere potest. *3. de finib.*

Ea virtute Principes & Magistratus esse debent, ut in legibus scribendis, nihil sibi aliud nisi salutem atq; utilitatem Reipublicæ proponant. *1. de Inventione.*

* Ubi libido dominatur, innocentiæ leve est præsidium. *in Oratore.*

Princeps qvi vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. *Qvintil. lib. 8.*

Qvi magnam benevolentiam Re-

gum

gum sunt consecuti, illi non minorem invidiam aulicorum excipiunt. *Cornel. Nep. in Datame.*

* Legibus continetur Respublica in singulis civitatibus. *Cic. 3. Offic.*

* Tyranni civium suorum potentiam extimescunt. *Corn. Nep. in Milt.*

Paucis contingit, ut patriam à Tyrannis oppressam ex servitute in libertatem vindicent. *in Thrasybulo.*

Cap. III.

De Animo & Corpore.

Multò difficilior est cogitatio; multoq; obscurior. qvalis animus in corpore sit, tanquam alienæ domi; qvam qvalis, cum exierit, & in cœlum qvasi in domum suam venerit. *Cicer. lib. 1. Tusc. Quæst.*

* Corpus nostrum est qvasi vas aut aliqvod animi receptaculum. *ibid.*

* In perturbato animo sanitas esse non potest. *3. Tusc.*

Nisi sanatus est animus, finis miseriarum nullus est futurus. *ibid.*

Munus

Munus animi est ratione bene uti; ad qvod exseqvendum non est aptus, si conturbatus est. *ibid.*

* Nihil est melius in homine bonâ mente. *5. Tusc.*

* Tardis mentibus Virtus non facilè committitur. *ibid.*

Cap. IV.

De Morbo & Sanitate.

* Perniciosiores & plures sunt morbi animi, qvam corporis. *Cic. 3. Tusc.*

Valetudo sustentari potest notitia corporis & observatione earum rerum, qvæ aut prodesse solent, aut obesse. *2. Offic.*

* Bona valetudo voluptati est anteponenda. *ibid.*

Sanitas animorum posita est in tranqvillitate qvadã & constantia. *3. Tusc.*

Cap. V.

De Adolescentia Juventute & Senectute.

* Ineuntis ætatis inscitia senum prudentia regenda est. *Cic. 1. Offic.*

Pueri-

Puerilis ætas iis artibus debet infici, qvas si, dum tenera est, combiberit, ad majora veniet paratior. 3. *de Finib.*

* In pueris, ut in speculis natura cernitur. *Cic.* 5 *de fin.*

In puerili ætate pudorem, modestiam & constantiam, etiamsi nostra nihil intersit, tamen diligimus *ibid.*

Senectutem ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adepti. *de Senect.*

* Moderati senes tolerabilem senectutem agunt. *ibid.*

Cap. VI.

De bonis Corporibus & Fortunæ.

Tribuendum est aliqvid bonis corporis & fortunæ, dum modó qvantum tribuendum sit, intelligas. *Cic.* 5. *de fin.*

Qvi habet corporis & fortunæ bona; benè his uti debet: qvi non habet, sapienter carere; qvi amittit, moderatè ferre. *lib.* 2. *de Oratore.*

Qvæ bona dicuntur, perinde sunt,

ut

ut illius animus, qvi ea possidet; qvi uti scit, ei bona: illi, qui non utitur rectè, mala. *Terent. Heautontim.*

Omnia, qvæ extra nos bona sunt, quæq; hominibus fortè obtigerunt, non ideo laudantur, qvod habuerit qvis ea, sed qvod his honestè sit usus. *Qvinctil. lib. 3.*

* Illud verè bonum est, quo nemo malè uti potest. *lib. 5.*

Pessimè meremur de rebus humanis, cum providentiæ munera in mutuam perniciem convertimus. *lib. 15.*

Cap. VII.

De Præceptis & Sententiis Sapientum.

Præceptis Sapientum utendum est ad vitam agendam, non ad ostentationem. *Corn. Nep. in Attico.*

Adolescentes senum præceptis gaudere debent, qvibus ad virtutum studia ducantur. *Cic. de Senect.*

Turpissimum est in illis, qvi præcepta vivendi tradunt, si ita vivant, ut

cum

cum vita eorum mirabiliter pugnet oratio. *2. Tusc.*

* Præcepta & artes nihil valent, nisi adjuvante natura. *Quintil. lib. 1.*

* Præcipientem libentius audimus, qvam reprehendentem. *lib. 2.*

Qvæ ab aliis bene sunt dicta, eorum relatio plus interdum auctoritatis affert, & laudem majorem conciliat, qvam si nostra sint. *ibid.*

Prudentissimus & optimus esse haberiq; debet, qvi sententiæ suæ de utilibus atq; honestis credere omnes velit. *lib. 2.*

CAP. VIII.

De Patria, Parentibus, Majoribus, Liberis & Educatione.

Laudandus est is, qvi mortem oppetit pro Republica, & patriam debere nobis cariorem esse docet, qvàm nosmet ipsos. *Cic. 3. de fin.*

Patriæ suæ alij occupati, alij otiosi prodesse possunt. *1. Tusc.*

* Parentibus nostris, qvos amare debemus,

bemus, irasci nefas est. *Cornel. Nep. in Attico.*

* Ad filios pertinet hæreditas paternæ gloriæ, & optimorum factorum imitatio. *Cic. 1. Offic.*

* A natura ipsa impellimur, ut eos, qvos genuerimus, amemus. *3. de finib.*

* Matres omnes filiis in peccato adjutrices esse solent. *Terent. in Adelph.*

Parentibus ac majoribus suis filii plerumq; creduntur similes, & nonnunqvam ad honestè turpiterq; vivendum inde fluunt caussæ. *Qvinct. l. 5.*

Qvi honesta in familia institutus est, & ingenuo educatus; ipsa turpitudine, etiamsi eum læsura non sit, offenditur. *Cic. 3. de fin.*

* Turpitudo generis opprobrio est multis. *Qvintil. l. 3.*

CAP. IX.

De Doctrina, Disciplina, Scholis & Præceptoribus.

* Mens hominis discendo alitur. *Cic. 1. Offic.*

Impellimur natura, ut prodesse velimus qvam plurimis, inprimisq; docendo, rationibusq; prudentiæ tradendis. *3. de fin.*

* Non facile est invenire, qvi qvod sciat ipse, non tradât alteri. *ibid.*

* Non solùm ad discendum propensi sumus, verùm etiam ad docendum. *ibid.*

* Multa discimus, qvæ cum præclarè didicerimus, nihil scimus. *5. de fin.*

Disciplinam nostram ostentationem scientiæ potiùs, qvàm legem vitæ putamus: neq; ipsimet nobis obtemperamus, & paremus decretis. *2. Tusc.*

* Optimi viri multa sese ignorare confitentur, & multa sibi indies esse discenda. *3. Tusc.*

* Is maxime docilis est, qvi attentissimè est paratus audire. *de Invent. l. 1.*

* Animus bene informatus in alieno malo suam infirmitatem considerat. *ibid.*

Qvæ bona sunt, doctrina possunt fieri meliora, & qvæ non optima, aliqvo

qvo modo tamen corrigi possunt. *lib. 2.*

Discere volentibus interdum satis est, fontes unde hauriant, atq; itinera ipsa demonstrare. *lib. 1. de Oratore.*

* Intelligentis Doctoris est, videre, qvò qvemq; sua natura ferat. *Cicero in Bruto.*

Magni interest, qvos qvisq; audiat qvotidie domi, qvibuscum loqvatur â puero; qvemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. *ibid.*

Multorum studia tardantur, qvi desperatione debilitati, experiri id nolunt, qvod se asseqvi posse diffidunt. *Cic. in Oratore.*

Vehementer errant, qvi arbitrantur, turpe esse, discere qvod scire honestum est, aut non esse gloriosum docere, qvod nosse pulcherrimum est. *ib.*

Quidam aut Magistrorum inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non asseqvuntur, qvod alij sunt assecuti. *ibid.*

Falsa est qverela, paucissimis homini-

minibus vim percipiendi, quæ traduntur, esse concessam. *Qvinctil. lib. 1.*

Id inprimis cavere oportebit, ne studia qvi amare nondum potest, oderit: & amaritudinem semel perceptam, etiã ultra rudes annos reformidet. *ibid.*

Cavendum est illud, qvod studiis qvidem prodest, moribus autem nocet; potior enim ratio esse debet vivendi honestè, qvàm vel optimè discendi. *ibid.*

* Domi ea sola discere potest adolescens, qvæ ipsi præcipiuntur; in schola etiam, qvæ aliis. *ibid.*

* Turpe est in studiis credere pari, pulchrnm superare majores. *ibid.*

Superior successu curam non remittat, & dolor victum ad depellendam ignominiam concitet. *ibid.*

* Nulla ætas tam est infirma, qvæ non protinus, qvid rectum pravumq; sit, discat. *ibid.*

Prima ætas tum maximè est formanda, qvum simulandi nescia est, & præcipientibus facilè credit. *ibid.*

* Ars

Ars Grammatica, nisi fideliter fundamenta jecerit, qvicqvid superstruxeris, corruet. *ibid.*

Pleriq; ambitiosa festinatione à posterioribus incipiunt, & dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, morantur. *ibid.*

* Qvod facere oporteat, non indignandum est, discere. *ibid.*

* Laborem studiorum pueri faciliùs tolerant, neq; enim ulla ætas minùs fatigatur. *ibid.*

* Longa est ætas, qvæ discit. *ibid.*

* Turpe est computare velle, quid studia referant. *ibid.*

Tantò melius est optimis imbui, qvantò major est difficultas in eluendis vitiis, quæ semel insederint. *lib. 2.*

* Gravius est dedocere, quàm docere. *ibid.*

Plus prodest demonstrare protinus rectam viam, qvàm revocare ab errore jam lapsos. *ibid.*

* Elaborandum est, si qva difficiliora discenti videbuntur. Supervacua

enim esset doctrina, si natura sufficeret. *ibid.*

* Omnes malunt didicisse, qvàm discere. *lib. 3.*

* Ut feliciùs discere nostra ætas posset, priores elaboraverunt. *lib. 12.*

* Rectæ voluntati nullum tempus est serum. *ibid.*

Sæpe cum Magistris ad erudiendum traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas cedere cogatur. *Cic. 3. Tusc.*

Acerrimus est ex omnibus nostris sensibus sensus videndi; qvare facillimè animo teneri possunt ea, qvæ percipiuntur auribus, si etiam oculis videantur. *lib. 2. de Oratore.*

CAP. X.

De Ingeniis, Studio, Diligentia, Exercitatione, Otio & Ignavia.

Ut semina summo solo sparsa celeriùs se effundunt, & herbulæ spicas imitatæ inanibus aristis ante messem flave-

flavescunt; ita ingenia præcocia non temere unqvam perveniunt ad frugem. *Qvinctil. l. 1.*

Ille puer eruditionem conseqvetur, quem laus excitat, qvem gloria juvat, qviq; flet victus. *ibid.*

Imbecillis ingeniis sic est obseqvendum, ut tantùm in id, qvò vocat natura, ducantur. *lib. 2.*

Celeriùs occidit festinata maturitas. *lib. 6.*

Studium est animi assidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio. *Cic. 1. de Inventione.*

* Nemo reperitur, qvi studio nil sit consecutus. *Qvinctil. l. 1.*

Studium constat discendi voluntate, qvæ cogi non potest. *ibid.*

Negata remissio odium facit studiorum, nimia verò otij consvetudinem. *ibid.*

* Pueris natura est patientior laboris, qvam juvenibus. *ibid.*

* Difficultatis patrocinia præteximus ignaviæ. *ibid.*

* Profectus præcipuè diligentia constat, *lib. 2.*

* Uni rei perit tempus, qvodcunq; alteri datur. *lib. 12.*

Exercitatio & temperantia in senectute etiam pristini roboris aliqvid conservare possunt. *Cic. de Senect.*

* Nemo nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid commodi ex ea consequatur. *lib. 1. de finib.*

* Frequens usus omnium Magistrorum præcepta superat. *Cic. de Oratore l. 1.*

* Consvetudo & exercitatio facilitatem maximè parit. *Quinct. lib. 10.*

* Otium & solitudo aliis langvorem afferunt, alios acuunt. *Cic. 3. offic.*

Felices videntur, qvi cum vitæ cursum tenere possunt ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possint, *lib. 1. de Oratore.*

Magnam spem de se præbet ille puer, qui multa dat signa & pudoris & ingenii. *lib. 3. de finib.*

Sæpe agendi aliquid discendiq; caus-

caussa vigiliæ sunt suscipiendæ. *lib. 5. de finib.*

Cap. XI.

De Actionibus & Officio hominum.

* Ad qvas res aptissimi erimus, in iis potissimùm elaborabim⁹. *Cic. 1. Offic.*

* Considerate agere pluris est, qvam prudenter cogitare. *lib. 2. Offic.*

* Virtus qvædam est, cum interdum qvod facere ipsimet non possumus, id recte fieri in altero judicamus. *de Amicit.*

Plures discunt, qvemadmodum qvæ mala sunt, fiant; qvam qvemadmodum illis resistatur. *ibid.*

Non satis est judicare, qvid sit faciendum, vel non faciendum; sed stare etiam oportet in eo, qvod est judicatum. *Cic. de fin. lib. 1.*

* Scelerati quamvis occultè aliqvid fecerint, nunqvam tamen confidere possunt, id semper fore occultum, *ibid.*

* Nunc ita vivimus, ut meliùs di-

nere, qvàm facere videamur. *lib. 2. de finib.*

* Cupiditas agendi aliqvid adolescit cum ætatibus. *lib. 5. de fin.*

Vitio nobis vertitur, si in officio, cujus Magistri esse volumus, labimur; artemq; vitæ professi delinqvimus in vita. *lib. 2. Tusc.*

Qvid maximè consentaneum sit in vita, qværamus ab iis, qvibus, qvod honestum sit, summum bonum; qvod turpe, summum videtur malum. *ibid.*

* Sapientis est, nihil facere, qvod pœnitere possit. *5. Tusc.*

* Non faciendo id, qvod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. *lib. 1. de Oratore.*

* Qvod cavere potes, stultum est admittere. *Terent. in Andr.*

Malo coactus qvi suum officium facit, tantisper cavet, dum id rescitum iri credit: si clàm fore sperat, rursum ad ingenium redit. *in Adelph.*

* Plerumq; nostras partes omittimus, & alienas occupamus. *Qvinctil. l. 2.*

Ab

Ab eo, qvod qvis optimè facit, non est transferendus in aliud, cui minùs est idoneus. *Qvinctil. lib. 2.*

Omnis vitæ ratio sic constare debet, ut qvæ probamus in aliis, facere ipsi velimus. *lib. 10.*

Cap. XII.

De Moribus & Consvetudine.

* Qvædam Nationes nihil rectum putant, nisi qvod suis moribus conveniat. *Cornel. Nep. in Præf.*

* Non eadem omnibus honesta sunt atq; turpia. *ibid.*

Magni ingenii est revocare mentem á sensibus, & cogitationem à consvetudine abducere. *Cic. 1. Tusc.*

* Multa injusta ac prava fiunt moribus. *Terent. in Adelph.*

Nunqvam injustius est qvicqvam homine imperito, qvi nihil rectum putat, nisi qvod ipse facit. *ibid.*

Consvetudo si ex eo, qvod plures faciant, nomen accipiat; periculosum

dabit

dabit præceptum vitæ, *Quinctil. l. 1.*

* Consensus eruditorum debet esse consvetudo sermonis; & consensus bonorum consvetudo vivendi. *ibid.*

* Consvetudo qvotidie magis invalescit. *lib. 2.*

Cap. XIII.

De Fama, Gloria, & Ambitione.

* Multorum fama felicitate potiùs qvàm Virtute est parta. *Cornel. Nep. in Lysandro.*

* Filii acceptam à patre gloriam multis virtutibus debent augere. *in Timotheo.*

* Cavenda est gloriæ cupiditas: eripit enim libertatem. *Cic. 1. Offic.*

Hominis ingenui & liberaliter educati est, velle ab omnibus bonis benè audire. *3. de fin.*

Vix invenitur, qvi laboribus susceptis periculisq; aditis, non, qvasi mercedem rerum gestarum, desideret gloriam. *1. Offic.*

Pro-

Proxima & compendiaria ad gloriam est via, si qvis id agat, ut talis sit, qvalis haberi velit. *2. Offic.*

* Honos alit artes: omnesq; incenduntur ad studia gloriâ. *1. Tusc.*

Virtutem necessariò gloria, etiamsi illud non agamus, consequitur. *ibid.*

Gloria etsi nihil in se habeat, cur expetatur; tamen virtutem tanqvam umbra seqvitur. *ibid.*

Præclarorum virorum nomen non iisdem finibus terminatur, qvibus vita. *ibid.*

Vera gloria est consentiens laus bonorum, & incorrupta vox benè judicantium de excellente Virtute *3. Tusc.*

Vera gloria qvia rectè factorum plerumq; est comes, non est à bonis viris repudianda. *ibid.*

* Fama popularis plerumq; est peccatorum vitiorumq; laudatrix. *ibid.*

* Gloria qvæ expetitur, sæpe plus habet molestiæ, qvàm voluptatis. *5. Tusc.*

* Ambitio licet vitium sit, freqventer

ter

ter tamen est caussa virtutum. *Quinctil. lib. 1.*

* Præstantissimi qviq; justiora posterorum, qvàm suæ ætatis judicia conseqvuntur. *lib. 3.*

Egregii & eruditi viri qvando ab hominibus sui temporis parùm intelliguntur, posterorum judiciis se reservant. *lib. 11.*

* Honores rari inprimis sunt gloriosi. *Corn. Nep. in Nils.*

Qvi nihil præstantius judicant honoribus, imperiis, populari gloria; nullam consectantur veram virtutis effigiem, sed adumbratam imaginem gloriæ. *Cic. 3. Tusc.*

Est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. *Cicer. in Bruto.*

Cap. XIV.

De Conatu, Facilitate & Difficultate.

Qvæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possint. *Cic. in Part. Orat.*

*Qvo-

* Qvoniam id fieri, qvod vis, non potest; velis id, qvod possit. *Terent. in Andr.*

Illud non est sapere, velle te id, qvod non potest contingere. *in Adelph.*

Nulla res est tam facilis, qvin difficilis sit, qvam invitus facias. *ibid.*

* Ne tenta, qvod effici non potest. *Qvinctil. lib. 2.*

Natura rerum nihil magnum voluit citò effici, proposuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem. *Qvinctil. lib. 10.*

Cap. XV.

De Familiaritate, Amicitia & Conversatione.

Nulla est firmior societas, qvam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. *Cic. 1. Offic.*

* Jucundissima est amicitia, qvam similitudo morum conjugavit. *ibid.*

* In amicitiis nulla pestis major est, qvam pecuniæ cupiditas. *Cic. de Amicit.*

* Magna & justa plerumq; dissidia nasci

nasci solent, cum aliqvid ab amicis, qvod justum non est, postulatur. *ibid.*

Jus amicitiæ nos deserere arguunt illi, qvibus obseqvi nolumus. *ibid.*

* Difficile est amicitiam manere, si à virtute defeceris. *ibid.*

Prima lex est in amicitia, ut neq; rogemus res turpes, nec faciamus rogati. *ibid.*

* Turpis est excusatio, si quis amici caussa contra Rempublicam se fecisse fateatur. *ibid.*

* Solem è mundo tollere videntur, qvi amicitiam è vita tollunt. *ibid.*

* Svavitas sermonum atq; morum non mediocre condimentum est amicitiæ. *ibid.*

Digni sunt amicitia, qvibus in ipsis inest caussa, cur diligantur. *ibid.*

* Amicitia à natura data est virtutum adjutrix, non vitiorum comes. *ib.*

Multò melius de qvibusdam acerbi inimici merentur, qvam ij amici, qvi dulces videntur: illi enim sæpe verum dicunt, hi nunquam. *ibid.*

Qvo-

Qvoniam res humanæ fragiles caducæq; sunt, semper aliqvi acqvirendi sunt, qvos diligamus, & à qvibus diligamur. *ibid.*

* Solitudo & vita sine amicis insidiarum & metus est plena. *Cic. l. 1. de fin.*

Rarò est aliqvis amicorum, apud qvem expromere omnia nostra occulta audeamus. *Terent. Adelph.*

Mens nostra in secretis aut langvescit, aut contrà tumescit inani persvasione. *Qvinctil. lib. 1.*

Cap. XVI.

De Amore, Benevolentia, Odio, Inimicitia, & Invidia.

* Benevolentiam civium blanditiis colligere turpe est. *Cic. de Amicit.*

Pleriq; eos potissimum diligunt, ex qvibus sperant, se maximum fructum esse capturos. *ibid.*

* Laus & caritas sunt vitæ sine metu degendæ præsidia firmissima. *de fin. lib. 1.*

* Eos qvi nobis carissimi esse de-

bent, æqvè ac nosmetipsos amemus. *3. Tusc.*

* Optabile est plus favoris mereri, odii minus. *Qvinctil. lib. 4.*

Inimicitiarum expers esse potest, qvi neminem lædit, & si qvam injuriam accepit, mavult oblivisci qvàm ulcisci. *Corn. Nep. in Attico.*

Amicitia omnibus rebus humanis est anteponenda: nihil enim est tam aptum naturæ ad res vel secundas, vel adversas, *Cic. de Amicitia.*

Nihil est difficilius, qvàm amicitiam ad extremum vitæ diem permanere. *ibid.*

Commune est vitium in magnis liberisq; civitatibus, ut invidia sit gloriæ comes. *Cornel. Nep. in Chabria.*

* Qvidam non audent invidiæ metu dicere qvod sentiunt, etiamsi sit optimum. *Cic. 1. Offic.*

Apertè odisse magis ingenuum est, qvàm fronte occultare sententiam. *de Amicit.*

* Invidia est ægritudo ex alterius rebus secundis. *3. Tusc.*

CAP.

CAP. XVII.

De Concordia & Diſcordia, Conſenſu & Diſſenſu.

Nulla domus tam ſtabilis, nulla civitas tam firma eſt, qvæ non odiis atq; diſſidiis funditus everti poſſit. *Cicer. de Amicit.*

Nihil eſt turpius, qvam cum eo bellum gerere, qvi cum familiariter vixeris. *ibid.*

Improborum conſenſio amicitiæ excuſatione non eſt tegenda. *ibid.*

Perverſa eſt conſvetudo illorum, qvi maledictis inſectantur eos, à qvibus de veritate diſſentiunt. *Cic. 2. de fin.*

CAP. XVIII.

De Gratitudine, Liberalitate & Beneficentia

Res familiaris non ita eſt claudenda, ut eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, ut pateat omnibus. *lib. 2. Offic.*

Odioſum eſt genus hominum officia exprobrantium. Etenim meminiſ-

ſe ea debet is, in qvem collata ſunt, non commemorare, qvi contulit. *de Amicit.*

* Beneficium & gratia ſunt vincula concordiæ. *l. 3. de fin.*

Si tuam ob cauſſam cuiqvam commodes, beneficium illud habendum non eſt, ſed fœneratio; nec gratia deberi videtur ei, qvi ſuam ob cauſſam commodaverit. *ibid.*

* Impudens eſt, qvi pro beneficio non gratiam, verùm mercedem poſtulat. *de Invent. l. 1.*

* Qvò minores ſunt opes, eò majorem benefactis gloriam parimus. *Qvinctil. l. 1.*

* Magna numera multi nobis invident, plures concupiſcunt. *Cornel. Nep. in Thraſyb.*

Cap. XIX.

De Venia, Indulgentia, Licentia & Impunitate.

* Nobis volumus ignoſci; cæteris ipſi non ignoſcimus. *Cic. de Oratore.*

* De-

* Deteriores omnes sumus licentia, *Terent. in Adelph.*

* Nimia licentia evadit in magnum aliqvod malum, *ibid.*

* Liberorum nostrorum mores ipsi perdimus. Mollis illa educatio, qvam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. *Qvinctil. lib. 1.*

Ultrà nobis, qvàm oportet, indulgemus. *lib. 2.*

Qvi impunè possunt esse iniqvi, gratiam sibi habendam esse putant, si rectè fecerint. *Cic. 2. de finib.*

CAP. XX.

De Vita & Morte.

* Honesta mors turpi vitæ præstat. *Cornel. Nep. in Chabr.*

Optanda mors est, si aliqvò deducit animum, ubi æternus futurus est. *Cic. de Senect.*

Nemini, qvamvis adolescens sit, exploratum est, se ad vesperum esse futurum. *ibid.*

* Omni ætati mors est communis. *ib.*

Qvod cuiq; temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus *ibid.*

* Breve tempus ætatis satis est longum, ad benè honestèq; vivendum. *ib.*

Adolescentes sic mori videntur, ut cum aqvæ multitudine flammæ vis opprimitur; senes autem, sicut cum sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur. *ibid.*

* Mors, qvam immortalitas consequitur, lugenda non est. *ibid.*

* Sacietas vitæ tempus maturum mortis affert. *ibid.*

* Nihil morti est tam simile, qvàm somnus. *ibid.*

* Animus noster tum demùm victurus est, cum excessit è vita. *ibid.*

Sapientissimus qvisq; æqvissimo animo moritur: stultissimus iniqvissimo. *ibid.*

* Vita nostra plus habet laboris qvàm commodi. *ibid.*

Ex vita discedimus tanqvam hospitio, non tanqvam ex domo; commorandi

randi enim natura diversorium nobis dedit, non habitandi locum. *ibid.*

* Animis justorum, cum è corpore excesserunt, reditus ad cœlum patet. *de Amicit.*

Optimi cujusq; animus in morte facillimè evolat tanqvam è vinculis corporis. *ibid.*

Mors terribilis est iis, qvorum cum vita omnia exstingvuntur, non iis, qvorum laus emori non potest. *Cic. in Paradoxis.*

* Æqvo animo è vita, tanqvam ex theatro, exeundum est. *1 de finib.*

* Mors est discessus animi è corpore. *1. Tusc.*

* Id agamus, ut mortis metu liberemur. *ibid.*

* Animi, cùm è corporibus excesserunt, in cœlum qvasi in domicilium suum perveniunt. *ibid*

* Dominans ille in nobis Deus vetat nos injussu suo hinc demigrare. *1. Tusc.*

* Tota nostra vita commentatio mortis esse debet. *ibid.*

Si animus non remanet post mortem, privamur spe beatioris vitæ. *ibid.*

* Mors propter incertos casus qvotidie imminet. *ibid.*

Jucundum debet esse iter vitæ, si illo confecto, nulla cura, nulla solicitudo reliqva futura sit. *ibid.*

* Vita acta perficiat, ut satis superq; vixisse videamur. *ibid.*

Si qvid tale acciderit, ut à Deo denunciatum videatur, ut exeamus e vita; læti & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è custodia, & levari vinculis arbitremur. *ibid.*

Eo simus animo, ut mortis diem, qvi aliis est horribilis, nobis faustum putemus. *ibid.*

Qvomodo initium nobis rerum omnium ortus noster affert, sic mors exitum. *ibid.*

Qvi mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad vitam tranqvillam comparat. *2. Tusc.*

Injustus est, qvi mortalis natus conditionem postulat immortalium, & gra-

& graviter fert, se qvod utendum ac ceperit, reddere. *3. Tusc.*

Eos qvi æqvo animo moriuntur, laudamus; qvi alterius mortem æqvo animo ferunt, eos putamus vitupe-randos. *3. Tusc.*

Benè vivendi disciplinam, qvæ est omnium artium amplissima, vita magis qvàm literis persеqvi decet. *4. Tusc.*

Qvi mortem & dolorem metuit, semper est miser: alterum enim sæpe adest, alterum semper imminet. *5. Tusc.*

Ita est vita hominum, qvasi cum ludas tesseris: si illud, qvod est maximè opus jactu, non cadit; illud qvod cecidit fortè, arte corrigas oportet. *Terent. Adelph.*

Cap. XXI.

De Virtute & Vitiis, Probitate & Improbitate.

* Viri prudentes metiuntur magnos homines non fortuna, sed virtute. *Corn. Nep. in Eumene.*

* Aptissima sunt arma senectutis

exercitationes virtutum. *Cic. de Senect.*

Nihil diuturnum videtur, in qvo est aliqvid extremum: tantùm manet, qvod virtute & rectè factis consecvuti sumus. *ibid.*

* Nihil est amabilius virtute. *Cicer. de Amicit.*

Propter virtutem & probitatem eos etiam, qvos nunqvam vidimus, qvodammodo diligimus. *ibid.*

Tanta vis probitatis est, ut eam in hoste etiam diligamus. *ibid.*

* Virtute ipsa non tam multi prædi- ti esse, qvam videri volunt. *ibid.*

* Nescimus, qvantas vires virtus ha- beat; nomen tantùm virtutis usurpa- mus, qvid ipsa valeat, ignoramus. *in Paradoxis.*

* Nulla possessio, nulla vis auri & argenti pluris qvàm virtus æstimanda est. *ibid.*

Improbitas, in cujus animo versa- tur, eum sinit nunqvam respirare, nun- qvam acqviescere. *1. de finib.*

* E vitiis oriuntur turpes actiones. *3. de finib.*

*Ni-

* Nihil est, qvod tam miseros faciat, qvàm impietas & scelus. *4. de finib.*

* Vitia alia in aliis sunt majora. *ibid.*

* Qvi virtuti student, levantur vitiis, levantur erroribus. *ibid.*

Virtutis beatæq; vitæ, qvæ duo maximè expetenda sunt, serius lumen apparet; multò etiam serius, ut plane qvalia sint, intelligantur. *5. de fin.*

Omnis honos, omnis admiratio, omne studium ad virtutem & eas actiones, qvæ virtuti sunt consentaneæ, referri debet. *ibid.*

Virtutes omnes, & honestum illud, qvod ex his virtutibus exoritur, & in his hæret, per se est expetendum. *ibid.*

* Nemo parùm diu vixit, qvi virtutis functus est munere. *l. 1. Tusc.*

* Humana omnia inferiora virtute sunt ducenda. *4. Tusc.*

Ex nostra mollitia, non ex ipsa virtute de virtutis robore existimamus. *5. Tusc.*

Virtus omnia, qvæ cadere in hominem possunt, despiciens, casus contemnit humanos. *ibid.*

Præ-

Præmia virtutis & officii sancta & casta esse oportet; neq; ea aut cum improbis communicari; aut in mediocribus hominibus pervulgari. *Cic. lib. 2. de Invent.*

Homines virtutis minùs erunt cupidi, virtutis præmio pervulgato, *ibid.*

Cavendum est diligenter, ne fallant nos ea vitia, qvæ virtutem videntur imitari. Prudentiam enim malitia, & fortitudinem audacia, & religionem superstitio, & verecundiam timiditas imitatur. *Cic. in Part. Orat.*

* Discimus mala antequam sciamus vitia esse. *Qvinctil. lib. 1.*

Qvi satis putant vitio carere, in idipsum incidunt vitium, qvod virtutibus carent. *Qvinctil. lib. 2.*

Fallit plerumq; qvod probitas vocatur, qvæ est imbecillitas. *lib. 6.*

Probati mores & ante actæ vitæ integritas nunqvam non plurimùm prosunt. *lib. 7.*

* Prima virtus est vitio carere. *lib. 8.*

* Vitium est ubiq; qvod nimium est, *l. 8.*

Vir-

Virtus qvid sit, adversa ei malitia detegit, & æqvitas fit ex iniqvi contemplatione manifestior. *lib. 12.*

Maximum illud, ut boni viri simus, voluntate inprimis constat: qvam qvi vera fide induerit, facilè easdem artes accipiet, qvæ virtutem docent. *ibid.*

Cap. XXII.

De Justitia & Injustitia, Injuria, Æqvitate & Iniqvitate.

Qvi in imperiorum, honorum gloriæve cupiditatem incidunt, illos justitiæ capit oblivio. *Cic. 1. Offic.*

* Nihil agas qvod dubites, æqvum sit an iniqvum. *ibid.*

* Justitia sine prudentia multum potest; sine justitia nihil prudentia. *lib. 2. Offic.*

* Nemo justus esse potest, qvi vitam, voluptatem & divitias æqvitati anteponit. *ibid.*

* Fundamentum perpetuæ famæ & justitia, sine qva nihil potest esse laudabile. *ibid.*

* Si Deum hominesq; celare possimus,

mus, nihil tamen avarè, nihil injustè est faciendum. *3. Offic.*

* Nullum commodum tam expetendum, ut viri boni nomen amittas. *ibid.*

* Multa injustè fieri possunt, qvæ nemo possit reprehendere. *lib. 2. de fin.*

* Qvicqvid eqvum justumq; est, id etiam est honestum. *3. de finib.*

* Præstat accipere injuriam, qvàm facere. *5. Tusc.*

Qvid cum illis agas, qvi neq; jus, neq; bonum atq; æqvum sciunt; melius, pejus; prosit, obsit; nil vident, nisi qvod lubet. *Terent. in Adelph.*

Multi ita putant, sibi fieri injuriam, si qvam fecere ipsi; ultro expostulant, & ultro accusant. *ibid.*

* Iis nunc prœmium est, qvi recta prava faciunt. *in Phorm.*

* De justo, bono & æqvo etiam pessimi loqvuntur. *Qvinctil. lib. 1.*

* Iniqvorum ratio noscenda est, ut melius æqva tueamur. *lib. 8.*

CAP.

Cap. XXIII.

De Scientia, Sapientia, Prudentia, inſcitia & Imprudentia.

Una eſt ſapientia, qvæ mœſtitiam pellat ex animis, qvæ nos exhorreſcere metu non ſinat. *Cic. de fin. lib. 1.*

Sapientia docet fortunæ injurias modicè ferre, & omnes docet vias, qvæ ad qvietem & tranqvillitatem ferant. *ibid.*

* Prudentia eſt ars vitæ. *5. de fini*

Beatus eſt, cui vel in ſenectute contigerit; ut ſapientiam verasq; opiniones aſſeqvi poſſit. *ibid.*

* Qvod nunqvam vidimus, id qvale ſit, non facilè intelligimus. *1. Tuſc.*

* Ingenuos non pudet fateri neſcire, qvod neſciant. *ibid.*

* Minime decet in eo ipſo peccare, cujus profitemur ſcientiam. *2. Tuſc.*

* Sapientia eſt ſanitas animi, inſipientia autem morbus. *3. Tuſc.*

* Qvomodo jucunda vita poteſt eſſe,

esse, à qva absit prudentia & moderatio. 5. Tusc.

* Providentia est, per qvam futurum aliqvid videtur, anteqvam factum sit. lib. 1. de Invent.

* Prudentes viri summam prudentiam interdum simulatione stultitiæ tegunt. Cicer. in Bruto.

* Ità comparata est omnium hominum natura, ut aliena melius videant & judicent, qvàm sua. Etenim in re nostra, aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine. Terent. in Adelph.

* Nonnunqvam aliis plus sapimus, qvàm nobis ipsis. ibid.

Flagitium est, aliis nos consilia dare, & foris sapere, nobis verò non posse auxiliari. ibid.

Illud est sapere, non modò qvod ante pedes est, videre; sed etiam illa, qvæ futura sunt, prospicere. ibid.

* Sæpe sub Sapientiæ nomine maxima in plerisq; vitia latent. Qvinct. lib. 1.

Nihil pejus est iis, qvi paulum aliqvid ultra primas literas progressi, falsam

ſam ſibi ſcientiæ perſvaſionem induerunt, *ibid.*

* Arrogans de ſe perſvaſio magnos profectus freqventer perdit. *lib.* 2.

Prudentia ſine doctrina plùs facit, qvàm doctrina ſine prudentia. *lib.* 6.

CAP. XXIV.

De Eruditis & Eruditione.

Vana eſt eruditio, qvæ beatæ vitæ diſciplinam non juvat. *Cic. lib.* 2. *de finib.*

Qvotusqvisq; eruditorum invenitur, qvi ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? *lib.* 2. *Tuſc.*

* Laudabilis eſt eruditio, qvam decorat vitæ gravitas & integritas. *Cic. in Bruto.*

Doctorum virorum prudentia hominibus grata eſt, lingva verò interdum ſuſpecta. *Cic. in Oratore.*

* Ut primum eruditio cœpit eſſe in qvæſtu, cura morum relicta eſt. *Qvinct. lib.* 1.

Non

Non qvia honesta sit eruditio, & rerum pulcherrima, petitur ipsa, sed ad vilem usum, & sordidum lucrum accingimur. *ibid.*

Viri prudentes & eruditi talia inqvirunt scribuntq; , qvæ bonæ mentis juvenibus futura sint usui, & sibi voluptati. *lib. 2.*

* Nunqvam deerunt, qvi malint eruditi esse, qvàm boni. *lib. 12.*

* Computamus annos, non qvibus studuimus, sed qvibus viximus *lib. 12.*

Cap. XXV.

De Sermone & Oratione.

* Qvale qvis ingenium habeat, sæpè indicio est oratio. *Terent. in Andr.*

* Nihil est, qvin malè narrando possit depravari. *Phorm.*

* Multæ lingvæ vitia nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur. *Qvinctil. lib. 1.*

Vitia si qva sunt oris, ita emendari debent, ut expressa sint verba, & suis qvæq; literæ sonis enuncientur. *ibid.*

Recta sit facies dicentis, ne labra detorqveantur, ne immodicus hiatus rictum ostendat, ne supinus sit vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix. *ibid.*

Extemporalis puerorum garrulitas nec exspectata cogitatio, parentibus qvidem imperitis inane affert gaudium, ipsis verò inverecundam frontem, & consvetudinem pessimè dicendi, & malorum exercitationem. *lib. 2.*

* Oratio sæpè mores profert, & animi secreta detegit. *lib. 11.*

* Fortiùs interdum pro libertate loqvimur, qvàm pugnamus. *Cornel. ep. in Thrasyb.*

Cap. XXVI.

De Veritate, Falsitate, Mendacio, Simulatione, Taciturnitate, Promissis & Percontatione.

Stultum est, incerta pro certis habere, & falsa pro veris. *Cic. de Senect.*

 Nã-

Natura inest mentibus nostris insatiabilis qvædam cupiditas veri videndi. *1. Tusc.*

* Obseqvium amicos, veritas odium parit. *Terent. Andr.*

* Qvi mentiri aut fallere insueverit patrem, aut audebit, tantò magis audebit cæteros. *in Adelph.*

Commissa celare interdum non minus prodest, qvàm dissertè dicere. *Corn. Nep. in Epaminonda.*

* Non est liberalis viri sed levis polliceri qvod præstare non potest. *in Attico.*

* Facere potiùs optima qvàm promittere debemus. *Qvinctil. l. 1.*

* Tua qvod nihil refert, percontari desinas. *Terent. in Hecyra.*

Summa est amentia, in eorum fide spem habere, qvorum perfidia toties deceptus sis. *Cic. lib. 1. de Invent.*

Maxima injustitia est eorum, qvi tum, cùm maximè fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur. *1. Offic.*

Ficta

Ficta omnia celeriter tanqvam flosculi decidunt ; nec simulatum potest qvicqvam esse diuturnum. 2. *Offic.*

Vir bonus nec ut emat melius, nec vendat, qvicqvam simulabit, aut dissimulabit. 3. *Offic.*

Cap. XXVII.

De Patientia & Tolerantia.

* Summa virtus in patientia ponitur: *Corn. Nep. in Alcib.*

* Omnia humana sunt ferenda. *Cic. Tusc.*

Perpessio aliorum facit, ut ea qvæ acciderint, multò minora, qvàm, qvanta sint existimata, videantur. *Tusc.*

Id ferendum nobis censeamus, qvod videmus multos moderatè & tranqvillè tulisse. *ibid.*

Beatus est, qvi vim fortunæ, & omnia humana, qvæcunqve accidere possunt, tolerabilia ducit. 4. *Tusc.*

CAP. XXVIII.

De Modestia, Humanitate, Temperantia & Intemperantia.

* Importunitas & inhumanitas omni ætati est molesta. *Cic. de Senect.*

* Nihil est homini melius facilitate & clementia. *Terent. in Adelph.*

Intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. *Cic. de Senect.*

Temperantia est, quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis rationem ut sequamur, monet. *de fin.*

* Nunquam finem invenit libido. *Tusc.*

CAP. XXIX.

De Conscientia & Cognitione sui.

Suum quisq; noscat ingenium, acremq; se & vitiorum & bonorum suorum judicem præbeat. *Cic. 1. Offic.*

* Conscientia benè actæ vitæ, multorumq; bene factorum recordatio jucondissima est. *de Senect.*

Im-

Improbi qvocunq; adſpiciunt, in-
uriæ ſuæ illis occurrunt, & maleficio-
um conſcientia eos torqvet. *in Pa-
adoxis.*

Vera eſt ſapientia, parere tempori,
x ſeqvi Deum, & ſe noſcere *3. de fin.*

Nullum theatrum virtuti eſt ma-
is conſcientiâ. *2. Tuſc.*

Cap. XXX.

De Fiducia, Metu, Superſtitio- ne & Temeritate.

* Miſeranda eſt eorum vita, qvi ſe
etui malunt, qvàm amari. *Corn. Nep.
Dione.*

Nimia fiducia ſolet interdum ma-
æ calamitati eſſe *in Pelop.*

* Omnis actio vacare debet teme-
ate & negligentia. *Cic. 1. Offic.*

Qvi ſe metui volunt, à quibus me-
untur, eosdem metuant ipſi neceſſe
, *2. Offic.*

* Temeritas eſt florentis ætatis,
udentia ſenectutis. *Cic. de Senect.*

Nemo diligit eum, qvem metuit; aut eum, à qvo se metui putat. *de Amic.*

* Superstitione qvi est imbutus, nunqvam qviescere potest. *1. de fin.*

* Omnibus in rebus temeritas & ignoratio est vitiosa. *3. de fin.*

Temeritas & mollities efficiunt, ut nec res videre optimas, nec agere possimus. *5. de finib.*

* Qvi metuit illud; qvod vitari non potest, is vivere animo qvieto nullo modo potest. *2. Tusc.*

Qvarum rerum præsentia sumus in ægritudine, easdem impendentes & venientes timemus. *3. Tusc.*

* Fallax est hominum spes, & fragilis fortuna. *3. de Orat.*

* Multum prodest ea, qvæ metuuntur, contemnere. *ibid.*

Hoc patrium est, potius consvefacere filium, sua sponte rectè facere, qvàm alieno metu. *Terent. in Adelph.*

* Apud plurimos plus valet malorum timor, qvàm spes bonorum. *Qvintil. lib. 3.*

Qvi

* Qvi ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. *lib. 12.*

Cap. XXXI.

De Opinione, Errore & Suspicione.

De claris viris suspicionibus non debet judicari. *Cornel. Nep. in Pausan.*

Caussas suspicionum offensionumq; tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. *Cic. de Amicit.*

Multi cum perspicuis dubia debeant illustrare, dubiis perspicua conantur tollere. *4. lib. de fin.*

Simul atq; in lucem editi sumus, in omni continuò pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut penè cum lacte nutricis errorem videamur suxisse. *3. Tusc.*

Qvod qvisq; sentit, illud defendit. *4. Tusc.*

Rerum naturam, qvam errorem nostrum damnare malumus. *5. Tusc.*

Opinio dupliciter fallit homines, cum aut res aliusmodi est ac putatur, aut non is eventus est, qvem arbitrati sunt. *Cic. lib. 2, de Invent.*

Plurimi qvi ad honestatem sunt nati, pravis opinionibus corrumpuntur. *in Partit. Orat.*

Plerisq; accidit, ut damnent, quæ non intelligunt. *Qvinctil. lib. 10.*

CAP. XXXII.

De Divitiis, Paupertate, Avaritia & Parsimonia.

Pauperes non intuentur æqvo animo fortunam opulentorum. *Corn. Nep. in Chabr.*

* Pecuniæ cupiditas est fugienda: est enim angusti & parvi animi, amare divitias. *Cic. 1. Offic.*

* Mores corrumpuntur & depravantur admiratione divitiarum. *2. Off.*

Res familiaris qværi debet ijs rebus, à qvibus abest turpitudo, conservari autem & augeri diligentia & parsimonia. *ibid.*

Mul-

Multi divitias despiciunt; qvos parvo contentos tenuis victus cultusqve delectat. *de Amicit.*

* Magnum vectigal est parsimonia. *in Paradox.*

* Contentum esse suis rebus maximæ sunt certissimæq; divitiæ. *ibid.*

Avaritiam qvi tollere velit, illi mater ejus est tollenda luxuria. *2. de Orat.*

* Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum. *Terent. in Adelph.*

Commune omnium est vitium, qvòd in senecta nimium ad rem attenti sumus. *ibid.*

Iniqvè comparatum est, ut ij qvi minus habent, semper aliqvid addant divitioribus. *in Phorm.*

* Paupertas plerisq; onus videtur miserum ac grave. *ibid.*

* Sæpè aliqvid propter invidiam adimitur diviti, & propter misericordiam adgitur. *ibid.*

Divitiæ & potentia certissimum faciunt morum experimentum; aut enim

enim meliores propter hæc aut pejores sumus. *Qvinctil. lib. 3.*

Facultates patrimonij nostri aliis præparamus, aliis relinqvimus. *lib. 6.*

Cap. XXXIII.

De Amore proximi & Misericordia.

Multæ res sunt, in qvibus de suis commodis viri boni multa detrahunt, detrahiq; patiuntur; ut iis alii potius, qvàm ipsi fruantur. *Cic. de Amicit.*

Fructus ingenii & virtutis tum maximè capitur, cum in proximum qvemq; confertur. *ibid.*

Ubi invenias, qvi honorem amici anteponat suo? *ibid.*

Nulla est melior in hominum genere natura, qvàm eorum, qvi se natos ad homines juvandos, tutandos & conservandos arbitrantur. *1. Tusc.*

Misericordia est ægritudo ex alterius rebus adversis. *3. Tusc.*

Cap.

Cap. XXXIV.
De Honestate, Turpitudine & Decoro.

In colendo officio sita est vitæ honestas omnis, & in negligendo turpitudo. *Cicer. 1. Offic.*

Qvi summum bonum commodis suis metitur, non honestate; neq; amicitiam colore potest, neq; justitiam, neq; liberalitatem, *ibid.*

Nihil hominem oportet aut admirari aut optare, aut expetere; nisi qvod honestum decorumq; sit. *1. offic.*

Nihil est aliud benè & beate vivere, nisi honestè & rectè vivere *in Parad.*

Honestum est, qvod detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusq; per se ipsum jure potest laudari. *2. de finib.*

Nemo est tam agrestis, qvem non, si minùs ipsa honestas, contumelia tamen & dedecus magnoperè moveat. *in Partit. Orat.*

* Honestas tam est expetenda, qvàm vitanda turpia. *ibid.*

* Nihil

* Nihil debet placere, qvod non decet. *Qvinctil. lib. 1.*

Providentia dedit hoc munus hominibus, ut honesta magis juvarent. *ib.*

Multi, qvæ turpia esse dubitare non possunt, utilitatis specie ducti probant. *lib.*

Honesta honestis svadere facillimum est. *ibid.*

In eodem pectore nullum est honestorum turpiumqꝫ consortium, & cogitare optima simul & deterrima, non magis est unius animi, qvàm ejusdem hominis, bonum esse ac malum. *lib. 12.*

* Sine honesti justiqꝫ disciplina nemo vir bonus esse potest. *ibid.*

* Brevis est institutio vitæ honestæ, si credamus. *ibid.*

Cap. XXXV.

De Ægritudine, Dolore, Molestia, Miseria, Fletu & Consolatione.

* Laborum consvetudo perpessionem

nem dolorum efficit faciliorem. *Cicer.*
2. *Tusc.*

* Consvetudo non contemnenda est ferendi doloris magistra. *ibid.*

Omnia humana homini semper sint meditata: multum enim potest provisio animi, & præparatio ad minuendum dolorem. 3. *Tusc.*

Nihil est, qvod tam elevet ægritudinem, qvàm perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, qvod accidere non possit. *ibid.*

Tarda qvidem est ægritudinis medicina, sed tamen magna, qvam affert longinqvitas & dies. *ibid.*

Ætas honestè acta tantam affert consolationem, ut eos, qvi ita vixerint, aut non attingat ægritudo, aut perleviter pungat animi dolor. *ibid.*

* Multum valet ad ponendum dolorem, cum est intellectum, nihil profici. *ibid.*

Summa est stultitia confici moerore, cum intelligas, nihil posse proficì. *ibid.*

In

In ægretitudine lenienda, qvam qvisq; curationem recipere possit, videndum est. *ibid.*

Non contemnenda sunt ad tolerandum dolorem remedia, firmitas animi, turpitudinis verecundia, excercitatio & consvetudo patienti. *5. Tusc.*

Dies adimit hominibus ægritudinem. *Terent. in Adelph.*

Nemo nisi sua culpa diu dolet. *Qvinctil. lib. 6.*

* Nihil est tam miserabile, qvàm ex beato miser. *Cicer. in Partit. Orat.*

Hæc sunt officia consolantium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere qvam plurimum, aut non pati manare longiùs. *3. Tusc.*

* Citò arescit lachryma, præsertim in alienis malis. *in Partit. Orat.*

* Aliena nemo diu plorat. *Qvinctil. lib. 6.*

Facilè inarescunt lachrimæ, & dolore tandem mitigat tempus. *ibid.*

CAP.

CAP. XXXVI.

De Bonis & Malis.

* In omni arte vel qvavis scientia optimum qvidq; rarissimum est. *Cic. 2. de finib.*

De bonis & malis nemo potest verè judicare, nisi omni ratione cognita naturæ & vitæ. *3. de fin.*

Qui ea, qvæ bona sunt, mala putat, & bona contrà, quæ mala; & quæ appetenda, fugit, & qvæ fugienda appetit; revera sibi est inimicus. *5. de fin.*

Pleriq; cum in mala scientes ruunt, tamen se optimè sibi consulere arbitrantur, *Infent*

Malis resistendum est, ne magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum possint. *l. 1. de fin.*

* Nemo est tam malus, ut videri talis velit, *Quinctil. lib. 3.*

Simul objecta species cujuspiam est, qvod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. *4. Tusc.*

Naturâ omnes eà, qvæ bona videntur, seqvuntur, fugiuntq; contraria. *ibid.*

Cap. XXXVII.

De Culpa, Delictis, Peccatis, Emendatione, Objurgatione & Admonitionibus.

* In aliis magis cernimus, qvam in nobis ipsis, si qvid delinqvitur. *Cicero 1. Offic.*

Nulla est excusatio peccati, si amici caussa peccaveris. *de Amicit.*

Proprium est stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. *3. Tusc.*

Facillimè corriguntur in discendo, qvorum vitia imitantur emendandi caussa Magistri. *1. Offic.*

* Qvæ in pravum induruerunt, franguntur citiùs, qvam corriguntur. *Qvinctil. lib. 1.*

* Qvæ sunt emendanda, dissimulare non debemus. *lib. 2.*

* Monitio acerbitate, & objurgatio contumelia carere debet. *Cicer de Amicit.*

Qvi

Qvi monentur, eam molestiam, qvam debent capere, non capiunt: eam apiunt, qva debent carere, peccasse nim se, non anguntur: objurgari moestè ferunt: Contrà autem oportebat elicto dolere, objurgatione gaudere. id.

Etsi qvidem pleriq; irascuntur admotioni, & taciti repugnant; non tamen eo minùs vitia sunt coarguenda. vinctil. lib. 6.

* Aliena vitia qvisq; reprehendi avult, qvàm sua. ibid.

Culpam deprehensam pertinaciter eri, altera est culpa. lib. 6.

Cap. XXXVIII.

e Fortuna & Felicitate, Rebus prosperis & adversis.

* Mortales inconsideratiores sunt secunda, qvàm in adversa fortuna. m. Nep. in Conone.

* Difficilius est secundam fortunam ienter ferre, qvàm adversam. in mol.

* Unicuiq; mores sui fingunt fortunam. *in Attica.*

Non solum ipsa fortuna cæca est; sed eos etiam plerumq; efficit cæcos, qvos complexa est. *Cicer. de Amicit.*

* Insipiente fortunato nihil est intolerabilius. *ibid.*

* Qvi antea commodis fuerunt moribus, prosperis rebus immutantur. *ibid.*

Inferiores dolore non debent, se à suis amicis aut fortuna aut dignitate superari. *ibid.*

Cujus spes omnis & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihilq; qvod exploratum habeat, permansurum sibi, ne unum qvidem diem. *in Paradoxis.*

In eo statu esse debemus, qvem neq; fortunæ temeritas, neq; inimicorum labefactare possit injuria. *ibid.*

* Adversa qvasi perpetua oblivione obruere decet, & secunda jucundè meminisse. *lib. 1. de finib.*

Perniciosa est inscitia, nescire qvem-

admo-

lmodum rebus secundis uti conveni-
. 3. *Tusc.*

Adversa omnia illis sunt acerba, à
vibus non fuerunt cogitata. *ibid.*

Qvi multa sunt perpessi, faciliùs fe-
unt, qvicqvid accidit, seq; contra for-
unam obduruisse arbitrantur. *ibid.*

* Adversa venientia metu, & præ-
entia mœrore augemus.

* Nemo potest aut corporis firmi-
tate, aut fortunæ stabilate confidere.
4. *Tusc.*

* Magna laus est, adversos casus sa-
pienter tulisse. *Cic. 2. de Orat.*

* Facilius est contemnere fortunam
adversam, qvàm perferre. *Qvinctil.
lib. 6.*

Omnes qvibus res sunt minus se-
cundæ, magis sunt nescio qvomodo
suspiciosi, magis accipiunt omnia ad
contumeliam: propter suam impo-
tentiam se semper credunt negligi.
Terent. Adelph.

Cap. XXXIX.

De Bello, Pace, Prælio & Præda.

* Nihil in bello oportet contemni *Cornel. Nep. in Thrasyb.*

* In prælio fortuna sæpè plùs valet, qvàm Ducis prudentia. *ibid.*

* Bella gerenda sunt eam ob caussam, ut sine injuria in pace vivatur. *Cicero 1. Offic.*

Paci qvæ nihil habitura insidiarum, semper est consulendum. *ibid.*

* Bellum ita suscipi debet, ut nihil aliud nisi pax qværatur. *ibid.*

* Natura non patitur, ut aliorum spolijs nostras facultates & opes augeamus. *3. Offic.*

Sæpius arma sumuntur, qvibus illi ipsi, qvi didecerunt ijs uti gloriosè, qvemadmodum salutariter utantur non reperiunt. *Cic. in Bruto.*

Cap. XL.

De Consilio.

* Virorum benè svadentium auctoritas plurimum valere debet. *Cic. de Am.*

* Fa-

* Facilè omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus. *Terent. Andr.*

* Valet in consilijs auctoritas plurimum. *Quinctil. l. 3.*

* Nihil facilè persvadetur invitis. *lib. 4.*

Nihil est in omni vita prius consilio, frustraq; sine eo traduntur cæteræ artes. *lib. 6.*

Cap. XLI.

De vulgi aliorumq; opinione & judicio.

Qvi ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. *Cic. 1. Offic.*

Negligere qvid de se qvisq; sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam dissoluti. *ibid.*

* Multitudinis arbitrio sæpè res maximæ aguntur. *de Amicit.*

* Testimonium multitudinis non est admodum grave. *2. de finib.*

Maximus Magister est populus, atq; omnis undiq; ad vitia consentiens

multitudo; cujus judicium si magnifaciamus, planè inficimur opinionum pravitate: 3. *Tusc.*

* Unde tantum boni, ut pluribus, quæ recta sunt, placeant? *Quinctil. lib. 1.*

CAP. XLII.

De Fundamentis, Initiis & Perfectione rerum.

* Nihil est simul inventum & perfectum. *Cicer. in Bruto.*

* In præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima. *in Orat.*

Multa nobis gravia sunt, dum incipiamus, dumq; ignoremus: facilia autem ubi cognoverimus. *Terent. in Adelph.*

* Operum fastigia spectantur, latent fundamenta. *Quinct. lib. 1.*

* Ad nullius rei summam nisi precedentibus initiis perveniri potest. *ibid.*

* Minora si negligas, majoribus non est locus. *ibid.*

Qvamlibet multa egerimus, qvodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. *ibid.*

Ad

Ad summa perveniri non potest, nisi ex principiis. *lib. 10.*

Nihil est difficilius, qvàm reperire, qvod sit omni ex parte in suo genere perfectum. *Cic. de Amicit.*

Cap. XLIII.

De Victu & Cultu corporis.

Victus cultusq; corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. *Cic. 1. Offic.*

* Sicut in plerisq; rebus, ita etiam in vestitu mediocritas est optima. *ibid.*

* Tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. *de Senect.*

* Nihil turpius est, qvàm sapientis vitam ex insipientium sermone pendere. *2. de finib.*

Cap. XLIV,

De Utilitate & Commodis.

Avari homines omnia ad utilitatem referunt, & callidè excogitant, q[illegible]o-do occultè sine teste, sine ullo [illegible]io fallant. *Cic. 2. de finib.*

Si omnia ad utilitatem sunt referenda, vir bonus non potest reperiri. *ibid.*

Non est bona spes, neq; magna indoles in adolescentibus, qvos suis commodis tantùm inservituros, & qvicqvid ipsis expediat, facturos arbitramur. *ibid.*

* Communem utilitatem nostræ anteponere debemus. 3. *de fin.*

Alienum est à justitia, ad qvam nati sumus, detrahere aliqvid de aliqvo, qvod sibi assumat. *ibid.*

Vincit utilitas plerumq;, cum subest ille timor, ea neglecta dignitatem non posse retineri. 2. *de Orat.*

* Omnes sibi melius esse malunt, qvàm alteri. *Terent. Andr.*

* Multis hominibus tanta vecordia est innata, ut ex in commodis alterius sua comparent commoda. *ibid.*

* Ex qvo multa fuerint commoda, ejus incommodum æqvum est ferre. *in Hec.*

Cap.

Cap. XLV.

De Periculo, Damno, Incommodis & Pernicie.

Summa imprudentia est, si qvis dubia spe impulsus, certum in periculum se committat. *Cic. lib. 1. de Invent.*

Nulla tam detestabilis pestis est, qvæ non homini ab homine nascatur. *2. Offic.*

Natura constitutum est, ut non liceret sui commodi caussa nocere alteri. *3. Offic.*

Qvi legi divinæ parere velit, nunquam committet, ut alienum appetat, & id quod alteri detraxerit, sibi assumat. *ibid.*

Detrahere alteri sui commodi caussa, magis est contra naturam, qvam mors & dolor. *ibid.*

Suum cuiq; incommodum ferendum est potiùs, qvam de alterius commodis detrahendum. *ibid.*

* Viris bonis nihil potest malum videri, qvod naturæ affert necessitas. *de Senect.*

Omne

Omne animal alienatur ab interitu, ijsq; rebus, qvæ interitum videantur afferre. *3. de fin.*

Præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum. 3. *Tusc.*

Tolerabiliùs feret incommodum, qvi cognoverit, necesse esse, homini tale qvid accidere. *ibid.*

Ea lege sumus nati; ut nemo in perpetuum esse possit expers mali. *ibid.*

* A malis natura declinamus. *4. Tusc.*

Pericula & damna peregre rediens semper cogitet, aut filij peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ: Communia esse hæc, fieri posse: ut ne qvid animo sit novum. *Terent. in Phorm.*

* Ab ijs, quæ lædunt, ad ea qvæ prosunt, refugimus. *Qvinct. lib. 4.*

* Nocere facile est, prodesse difficile. *lib. 10.*

* Innocens dicitur, non qvi leviter nocet, sed qvi nihil nocet. *4. Tusc.*

CAP.

CAP. XLVI.

De Tranqvillitate, Constantia, Inconstantia seu Mutabilitate & Incertitudine.

* Hominum mores sæpè mutantur. *Cic. de Amicit.*

* Præteritum tempus nunqvam revertitur, nec qvid seqvatur, scire potest. *de Senect.*

Nemini exploratum esse potest, qvomodo sese habiturum sit corpus, ne ad vesperam qvidem. *2. de fin.*

* Tranqvillitas est placida & qvieta constantia. *4. Tusc.*

Ut maris tranqvillitas intelligitur, nulla ne minima qvidem aura fluctus commovente: Sic animi quietus & placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qva moveri qveat. *5. Tusc.*

* Omnium rerum est vicissitudo. *Terent. Eunuch.*

* Omnibus nobis ut res sese dant; ita magni atq; humiles sumus. *in Hec.*

*Bo-

* Bona facilè mutantur in pejus; vitia autem ratò vertuntur in bonum. *Quinctil. lib. 1.*

Cap. XLVII.

De Memoria & Recordatione.

* Memoria est, per qvam animus repetit illa, qvæ fuerunt. *Cicer. lib. 2. de Invent.*

* Præteritorum recordatio est acerba, & acerbior expectatio futurorum. *Cic. in Bruto.*

* Natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus. *Quinctil. lib. 1.*

* Magis pertinaciter hærent, qvæ deteriora sunt. *ibid.*

Ingenij signum in parvis præcipuum memoria est: cujus duplex virtus; facile percipere, & fideliter retinere. *ibid.*

Cap. XLVIII.

De Imitatione & Exemplo.

Magnoperè in audiendo legendoq; movemur, cum piè, cum amicè, cum magno

magno aliqvid animo factum cognoscimus. *Cic. 3. de fin.*

Tantum qvisq; laudat, quantum se posse spirat imitari. *Cic. in Orat.*

Periculum ex alijs facere debemus, nobis qvod ex usu sit. *Terent. Heaut.*

In vitas omnium, tanqvam in speculum, inspicere debemus; atq; nobis exemplum sumere ex aliis. *in Adelph.*

Non dabit mihi spem bonæ indolis, qvi hoc imitandi studio patit ut rideatur. *Qinctil. lib. 1.*

* Freqvens imitatio, transit in mores. *ibid.*

* Libenter imitamur illos, qvibus favemus. *lib. 2.*

Similes nobis videmur magnis viris, si vitia eorum potius imitemur, qvàm virtutes. *ibid.*

Qvod qvis imitaturus est, intelligere debet, & scire, qvare sit bonum. *l. 12.*

Cap. XLIX.

De Voluptate.

Nulla capitalior pestis homini à natu-

natura data est, qvàm voluptas corporis. *Cic. de Senect.*

Nullum est scelus, & malum facinus, ad qvod suscipiendum libido voluptatis non impellat. *ibid.*

Nihil est tam detestabile, qvam voluptas; cum enim major est atq; longinqvior, omne animi lumen exstingvit. *ibid.*

Nemo ipsam voluptatem, qvia voluptas sit, aspernatur, aut fugit; sed qvia conseqvuntur magni dolores eos, qvi ratione voluptatem seqvi nesciunt, *Cic. 1. de fin.*

Accusandi sunt, qvi blanditiis præsentium voluptatum corrupti, & cupiditate occæcati non provident, quos dolores & qvas molestias axcepturi sint. *ibid.*

Qvibusdam temporibus evenit, ut & voluptates repudiandæ sint, & molestiæ non recusandæ. *ibid.*

* Ad honestatem omnia referre decet, non ad voluptatem. *lib 2. de finib.*

Vo-

Voluptate dominante, maximas virtutes omnes jacere necesse est. *ibid.*

* Præteritæ voluptates mala præsentia sedare non possunt. *5. Tusc.*

* Voluptas maximè inimica est virtuti. *Cicer. in Partit. Orat.*

Cap. L.

De Rerum eventu.

* Omnia repentina videntur graviora. *Cic. lib. 3. Tusc.*

* Ita facere decet, nihil admirari cum acciderit: nihil arbitrari non posse evenire, antequam evenerit. *ibid.*

Nihil ita exspectare debemus, qvasi certò futurum; nihil cum acciderit, ita admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur. *lib. 5. Tusc.*

* Sæpè fortè eveniunt, quæ non audeas optare. *Terent. in Phorm.*

Cap. LI.

Laus & Vituperium.

Reperiuntur nonnulli, qvi nihil laudant, nisi qvod se imitari posse confidunt. *Cic. lib. 2. Tusc.*

In laudando & vituperando videre oportet non tam qvæ qvis in corpore aut in extranijs rebus habeat, sed qvo pacto illis utatur. *lib. 2. de invent.*

* Aliis prodest objurgata desidia, alijs laudata in dustria. *Qvinctil. lib. 1.*

Cap. LII.

De Ratione.

Homines etsi multis aliis, tamen hoc uno à bestiis plurimùm differunt, qvod rationem habeant. *Cic. l. 2. de fin.*

Parvulos rationis igniculos celeriter malis moribus, opinionibusq; depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. *lib. 3. Tusc.*

Ratio benè adhibita cernit, qvid optimum sit: neglecta, multis implicatur erroribus. *lib. 4. Tusc.*

Cap. LIII.

De Cupiditatibus & Desideriis.

Quæ cupiditates à natura proficiscuntur, facilè explentur, sine ulla injuria. *Cic lib. 1. de finib.*

Cupi-

Cupiditates sunt insatiabiles, qvæ non modô singulos homines, sed universas familias evertunt. *ibid.*

Qvi futura cupidè exspectant, conficiuntur angore & metu: maximæq; crucientur, cum serò sentiunt frustra, se aut pecuniæ studuisse aut imperijs, aut opibus, aut gloriæ. *ibid.*

Vir bonus non pendet ex futuris; sed expectat illa, præsentibus sapienter fruitur, & à vitijs abest plurimum. *ibid.*

Ita vivendum est, ut coerceamus cupiditates, nostra tueamur, ab alienis mentes, oculos, manus abstineamus. *Cic. lib. 1. de Orator.*

Cap. LIV.

De Artibus.

Qvam qvisq; noverit artem; in hac se exerceat. *Cic. lib. 1. Tusc.*

* Qvæ à natura initia ducunt, illa ars perficit. *Quinct. lib. 2.*

Nemini est turpe in arte magna & gloriosa alios docere id, qvod ipsi fuerit honestissimum discere. *Cic. in Orat.*

Cap. LV.

De Adulatione.

* Nulla in amicitiis pestis est major, qvàm adulatio. *Cic de Amicit.*

Multi vanam assentatorum orationem testimonium esse laudum suarum putant. *ibid.*

Assentatio semper auget id qvod magnum esse vult is, ad cujus voluntatem dicitur. *ibid.*



IN-

INDEX
TITULORUM.

Numerus Capita indicat.

Magi-

INDEX TITULORUM.

Tole-

INDEX TITULORUM.

FINIS.

